

# Ricorsi alla Santa Sede in pendenza di giudizio

---

*Si riporta, per documentazione, la seguente lettera del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica, indirizzata ai Presidenti delle Conferenze Episcopali.*

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

PROT. N. 9003/77 V.T.

Die 13 decembris 1977

Venerabilis Pater,

Canon 1569 C.I.C. unicuique fideli ius agnoscit petendi ut propria causa, in quovis iudicii gradu et in quovis litis stadio, deferatur ad Sanctam Sedem. Quod ius; cum cohaereat cum munere Romani Pontificis, firmum et integrum manet.

Usu tamen constat hoc iure quandoque partes abuti, tantummodo ad moras iudicio nectendas, vel ad executionem sententiae impediendam.

Quapropter Hoc Supremum Tribunal, re collata cum SS.mo, ne ordo iurisdictionum perturbetur, in mentem revocat huiusmodi extraordinarium recursum, qui ipsi personae Romani Pontificis dirigitur, nec exercitium iurisdictionis in iudice competenti suspendere, nec executionem sententiae, contra quam non suppetant vel propositae non sint impugnationes quae ex iure vim habent executionem suspendendi (cfr. can. 1889, 1893, 1895, 1898, 1907). Quod ceterum aperte statuitur canone 1569, par. 2.

Quo fit ut quaelibet inhibitio vel suspensio legitimi cursus iudicarii admittenda non sit nisi constet, ex authentico documento legitimae auctoritatis, Summum Pontificem circa ordinem procedendi in eadem causa aliquid peculiariter decrevisse.

Quae hisce litteris continentur in « Actis Apostolicae Sedis » proxime prostabunt.

Haec dum communico, rogo ut Episcopis dioecesanis et Tribunalium Officialibus ea nota facias.

Supremum Tribunal hanc nanciscitur occasionem ut Tibi debitum obsequium et grates exhibeat.

Tibi, Venerabilis Pater, add. mus

+ AURELIUS SABATTANI  
*Secretarius*

+ PERICLES CARD. FELICI  
*Praefectus*